

qua apud Dioscoridem lib. 5. cap. 94. & Serapionem qui omnium quos legi, diligentissime de ea re scripsit cap. 368. EADEM RATIONE LAMELLAS ÆREAS COLLOCANTES EFFICIUNT ÆRUGINEM. Si æris laminas aut massas in dolio super sarmenta aceto acerrimo aspersa composueris, ut nullū sit spiramentum, decimo die ubi dolium aperueris æruginem inuenies. Fit & laminis æreis supra acetum suspensis in cadis, ne attingant, post totidem dies rasis. Alii delimatam æris scobem aceto spargunt, versantq; spathis sæpius die, donec absumatur, eandem scobem alii in mortariis æreis ex aceto terunt. Reliquos modos quibus fit ærugo scribunt Dioscorides lib. 5. cap. 82. & Plin. lib. 34. cap. ii. CERVSSA CVM IN FURNACE COQVITVR, MVTATO COLORE AD IGNIS INCENDIVM EFFICITVR SANDARACHA. Sandaracha est duplex. Fossitia colore Cinnabaris, diximus id esse quod à vulgo arsenicon rubrū vocaretur. Alia est factitia, cerussa in furnace cremata. Errant Arabes Serapion, Albuzegez, Bedigoras, Mesa rugie, Aben mesn ai, Abix, Atabati, Rasis, Isaac eben amram, & cæteri, aut fortasse eorum interpretes, qui putant Sandaracham esse nostrū Vernicem, cū hic sit Inuiperi gummi.

CAP. XIII.

DAVTEM EXCIPITVR
 EX CONCHYLIO MARINO,
 EQVO PURPURA INFI-
 CITVR. Conchylum vt interpreter simpliciter dicitur